



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Sacristia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Verum si redditus debiti seruitij necessariam impensam superabunt, totum illud quod superabundat, ad hanc impensam transferatur: Atque id, nisi nominatim aliter in ipsa Visitatione cautum, iustum sit, aut aliter Reuerendiss. Archiepiscopo videbitur, & Regularium Prouincialibus iusta de causa; qui etiam rationem habeant aliorum onerum, si qua eidem Altari nominatim incumbunt.

S A C R I S T I A.

HAEC habeat Sacristia vnaqueque; Armarium, vel Vestiarium ad Paramenta conseruanda: ipsa verò Paramenta eiusmodi, quae iuxta instructiones generales à Reuerendiss. Archiepiscopo ex Decreto Prouincialis Concilij cōiectas, pro Ecclesiae, aut Cappellae, atque etiam altarium facultate requiruntur. Idem dicitur de Missalibus, de Calicibus, Patenis, velis pro ipsis Calicibus cooperiendis, & sacculo pro ijs reponendis, Corporalibus, Purificatorijs; quae omnia ad praescriptam eisdem regulis formam & mensuram sint, neque Vas desit ad ea lauanda ramneum stannatum; sed ex Aurichalcho, vbi facultates suppetunt; neque item Peluiculae, & Vrceoli desiderentur: Non adhibeantur autem in Sacrificio Vrceoli argentei, vel ex alia materia, vt apparere extra clarè non possit aquae & vini color. Non desint item in Parochialibus Thuribulum cum Nauicula, & Cochleari, & Situlus pro aqua benedicta cum Aspersorio, & Pocula vitrea ad dandam Purificationem; quae nullo modo detur Calice.

Oratorium separato quantū fieri poterit loco positum, atque disincto, in quo possit Sacerdos in solitudine se colligere, & orare; vt dicitur inferius, cum de ipsis Sacerdotibus, & Missa agatur: Ad ipsum verò Oratorium in pariete Orationes ad id propriae affixae sint.

Labellum cum Manutergio appenso ad manus abluendas & abstergendas ante & post Missae celebrationem.

Cartulam cum orationibus sacro vnicuique indumento accommodatis; quas attentè recitet Sacerdos, cum sacras ipsas vestes induit, & exiit.

Tabellam appensam in pariete cum

descriptis oneribus Missarum, & Annularium omnium, quae illi incumbunt Ecclesiae; & quo die vnumquodque erit persolandum.

Librum pro Missis annotandis ad praescriptam regulam, vt in singulos dies celebrantur.

Silentij nomē appensum magnis literis; quod seruetur vtique, omnis verbis omnibus, quae necessariorum in eo loco proferenda non sunt; quod re ipsa omnino praestetur.

Ligneum ostium (vbi id comode fieri poterit) extrinsecus communi ostio appositum, quod pondere appenso, ex se ipso pessulo claudatur; fenestellamque habeat clavis ferreis septa, vnde laici homines possint, si quid velint, è Sacristia quaerere; quibus laicis eò patere ingressus nisi vrgenti necessitate non debeat. Vbi verò ostium ipsum extrinsecus fieri non poterit, fenestella ipsa omnino aperiat ad praescriptam formam in communi ostio.

Decebet autem, vt in Sacristia insignium praesertim Ecclesiarum, si tapetia desint, crata lignea pauimento ipsi superponatur, in qua Sacerdos stans sacras vestes induat.

Hostiae à laico homine nullo conficiantur.

Vbi in visitatione locus Sacristiae constructioni expressè assignatus non est, priusquam ea edificetur, forma accipiat à Reuerendiss. Archiepiscopo.

T A B E R N A C U L U M L I G N E V M
pro Sanctissimo Sacramento
conseruando.

PANNO serico ab intus ornatū sit.

Conopeo decenti pro Ecclesiarum facultate contentum.

Benè, ac tutò clausum: cuius clavis à nemine, quam à Rectore teneatur.

Ita aptatum, vt ex eo possit Sanctissima ipsa Eucharistia commodè extrahi, neque super Altare propterea ascendendum sit.

Vacuum à Reliquijs, vasculo Olei infirmorum, atque etiam inani Vase; vt omnino nihil aliud ibi conseruetur, quam Sanctissima Eucharistia.

De-